

betur autem quominus possit esse capellanus amovibilis, ubi pater fuit pariter capellanus itidem amovibilis. Item pater legitimus potest obtinere etiam immediate beneficium illegitimi defuncti. Insuper nepos legitimus, ex patre illegitimo progenitus, capax est beneficii, quod avus antea possedit. Capax pariter est beneficii filius legitime natus ex patre naturali legitimo. » (Giraldus, *Expos. jur. pont.*, part. I, sect. 118.)

» An collatio beneficii filio sit nulla ipso jure, praesertim in casu quo facta sit presbytero qui, si beneficium collatum obtinere non possit, in dedecus ordinis clericalis mendicare cogetur? Die 22 martii 1376, cong. concilii publica censuit collationem beneficiorum factam illegitimo in Ecclesia in qua pater fuisse nullam ipso jure, ut probat ad litteram cap. *Ad abolendam, de Filiis presbyter.*, ibi: « Decernimus non valere. »

» An autem illegitimo suffragetur cap. *Veniens, de Filiis presbyt.*? Visum fuit hoc casu clare non suffragari, quia dict. cap. *Veniens* procedit quando illegitimus fuit promotus ad presbyteratum ad titulum beneficii in Ecclesia in qua pater, ut clare verba illius textus ostendunt, nec Abbas in hoc contrarium vult. In casu autem presenti agitur de capellaniam in Ecclesia in qua pater, quae collata fuit illegitimo postquam factus est presbyter, nec in actu promotionis ad presbyteratum legitur quod fuerit promotus ad titulum illius capellaniam. Sed etiam quod constaret promotum ad titulum illius capellaniam, adhuc aliqui ex card. Montaltus, Carafa, Lumellinus, videntur sensisse cap. *Veniens* fuisse correctum concilio propter verba generalia et exuberantia dicti cap. xv, sess. 23, *de Reform.*; sed alii dixerunt quod si casus eveniat quod illegitimus sit promotus ad beneficii paterni titulum, et velit uti beneficio dicta cap. *Veniens*, tunc proponatur in congr. conc. et amplius deliberetur. Et cum concilium, cap. xv, prohibeat omnem dispensationem, et cap. *Veniens* innitatur dispensationi, videtur a concilio sublatum. Item propter illa verba « quoquo modo ministrare. » Et sic, etiam praetextu dicti cap. *Veniens*, et quanquam dictum fuerit an saltem agendum cum Sanctissimo pro gratia, tamen responsum est ex quo alteri collatum est beneficium, et sic jus tertio quaesitum, non agendum. » (Ibid., sect. 119.)

## ADNOTATIO LVII.

*Lib. I. Tit. XVIII. De servis non ordinandis, et eorum manumissione, n. 24; pag. 505.*

## DE SERVORUM ET ADSRIPTIORUM ORDINATIONE.

« Ex integro hoc titulo palam fit, usque ad Gregorium IX, qui pontificatum gessit ab anno 1237 ad ann. 1240, adhuc viguisse servitutem, irregularitatemque illi affixam, ob quam servi (ii nempe qui ex constitutione gentium, et quidem tyrannica potius quam juridica, alieno dominio contra natu-

ram subjiuntur) ad ordines promoveri prohibebantur; quos etiam Ecclesia habere consueverat, licet non tam stricto vinculo quam apud saeculares dominos, ut docet Innocentius III, in cap. vi, *Et libentius*, hoc eod. titulo. Verum deinceps servitutes penitus extinctae fuerunt, in cujus extinctionis testimonium Thomassinus, *De nova et veteri Ecclesiae disciplina*, part. II, lib. I, cap. LXXIV, n. 3, haec habet: « Altum deinceps in jure canonico silentium de servitute et de affixa ei irregularitate. Quin ex adverso Clemens IV, cum rescivisset anno 1266, a Bela, Hungariae rege, rejici episcopum regni sui, ea de causa quod origine servus esset, luculenter ad eum rescriptum sit pro nihilo reputanda haec jam esse discrimina, quae inter homines alios ab aliis humana commenta est imprudentia, imparesque esse voluit quos Deus coaequaverat; hominum voluntate praescribi non potuisse contra naturam, quae humanum genus omne libertate donavit. Denique quanquam praesulem illum certo constaret origine servum fuisse, eam ignobilitatem pontificatus gloria et splendore absorptam, devorataque ita fuisse, ut ne memoria quidem ejus superesse deberet. Nec ei potest obesse originalis servitus, etsi de ipsa constaret, quam dignitas episcopalis absorbit et elisit. »

« His successere servi adscripti qui, domini glebae seu fundo colendo perpetuo adscripti, operas suas personaliter praestare tenentur; et originarii, ex his nimirum orti, et utriusque alio nomine homines proprii dicuntur, prout adhuc hodie, tanquam antiquae servitutis vestigia, reperiuntur in Pomerania, Westphalia, Polonia et Bohemia, ad quos antiquam juris canonici dispositionem de servis non ordinandis extendi asserit Engel, hoc titulo, « juxta tamen terminos juris habiles, et quantum fieri potest, saltem ad interesse domini no resarciendum... et praxis est ut tales homines consensum suorum dominorum, vel aliquam manumissionem, id est liberationem in scriptis episcopo exhibere debeant. »

« Ex constitutione S. Pii V, *Dignum*, 3 idus sept. 1566, mancipia quaecumque sub iugo servitutis quomodolibet alligata, christianam religionem prius amplexa, confugientia ad senatum cameræ Urbis, ejusque conservatores, et libertatem acclamantia, eandem consequuntur, ac Romani cives, liberique homines in omnibus efficiuntur. Idem prius statuerat Paulus III. » (Giraldi, *Exposit. jur. pontificii*, part. I, sect. 120.)

## ADNOTATIO LVIII.

*Lib. I. Decretal. Tit. XX. De corpore vitiatas ordinandis vel non, n. 58; pag. 515.*

## DE DEFORMITATE IRREGULARITATEM INDUCENTE.

« Solius episcopi judicio, etiam ex praxi Apostolicæ Sedis, relinquuntur quænam deformitas, aut corporis defectus sufficiat ad inducendam irregula-

ritatem. Et quamvis circa defectum staturæ parvæ nihil præcise in jure statutum legatur, cum tamen regula generalis sit quod ille defectus irregularitatem inducat, qui congruum ordinis exercitium impedit, aut notabilem deformitatem, horrorem præseferentem, et ad risum moventem habet, hic etiam defectus remittitur examinandus judicio Episcopi, ut ex decreto congr. conc. in *Mexicana*, 12 julii 1721, relato in *Thesaurorum resolutionum* dict. congregationis, tom. II, pag. 43 et 41

» Staturæ parvæ fuit etiam Paulus apostolus, atque adeo ut Joannes Chrysostomus eum appellaverit *tricubitalem*; sic S. Hieronymus, sic S. Antonius, qui propterea hoc diminutivo nomine appellatus fuit, ut legitur apud Theophilum Raynan, tom. XIII, in opere cui titulus: *Laus brevitatis*, pag. mihi 485.

» Nota quod quamvis cong. concil. licentiam impertiri soleat, postquam quis promotus est sanis oculis ad presbyteratum, et deinde cæcatus evaserit, sed non omnino cæcus remanserit, diebus festis ac duplicibus, missam votivam B. Virginis, diebus autem profestis, pro defunctis celebrare possit cum assistentia alterius sacerdotis, nunquam tamen concessisse reperitur facultatem subdiacono vel diacono notabiliter cæcuenti, etsi non omnino cæco, ut promoveri possit ad sacerdotium. Cæcus autem omnino, ex decr. ejusd. cong. relato a Benedicto XIV, *Inst. Eccl.*, XXIV, § II, neque admitti potest ad primam tonsuram, ut ecclesiastici beneficii capax reddatur. » (Giraldi, *Expos. jur. Pontif.*, part. I, sect. 133.)

## ADNOTATIO LIX.

*Lib. I. Decretal. Tit. XXII. De clericis peregrinis, n. 3; pag. 520.*

## DE LITTERIS COMMENDATIITIS SACERDOTI PEREGRINANTI AB ORDINARIO DANDIS.

« Nullus præterea, inquit conc. Tridentinum, clericus peregrinus sine commendatiitis sui ordinarii litteris ab ullo episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur; » sess. XXIII, cap. xvi, *de Reform.* »

« Quod si, inquit Giraldi, nec character, nec sigillum ordinarii aliquo modo notum sit, nullatenus erit admittendus ad divina celebranda et sacramenta administranda. Imo, sine dictis litteris, nec admittendus est etiam apud regulares exemptos, quibus episcopus prohibere potest, etiam cum censurarum inflictione, ne in suis ecclesiis permittant sacerdotibus exteris missam celebrare, nisi prius hi ab eodem episcopo, visis eorundem litteris commendatiitis, admissi fuerint, ut ex pluribus decretis congr. conc. relatis a Benedicto XIV, *Institut. Ecclesiast.* XXXIV, § I, et lib. IX, *De syn. diac.*, edit. 1753, cap. xv, n. 5.

» Episcopus autem easdem litteras denegare nequit, si petantur ex causa rationabili, v. g. prop-

ter salutiferam peregrinationem, domicilium vel diocesim mutandam, ut eadem congr. respondit in *Segnen. decretor.*, 22 nov. 1749, ad sequens dubium, primo loco sibi propositum, prout legitur in *Thesaurorum resolutionum* dictæ congregationis: « An decretum episcopi factum in visitatione, quo prohibetur ne clerici discedam a diocesi sine licentia in scriptis habenda sub pœna suspensionis sustineatur? Et quatenus affirmative, an liceat dicto episcopo sine justa causa discessum denegare in casu, etc.? Affirmative ad primam partem in casu de quo agitur; negative ad secundam et amplius. » (*Expos. jur. pontif.*, part. I, sect. 136.)

## ADNOTATIO LX.

*Lib. I. Decretal. Tit. XXIII. De officio archidiaconi, n. 20, pag. 525.*

## DE EXAMINE PROMOVENDORUM AD BENEFICIA CURATA.

« Respectu examinis promovendorum ad beneficia curata derogatum est (decretali *Ad hæc*, hoc eod. tit.) a concilio Trident., cap. xviii, sess. XXIV, *de Reform.*, præcipiente examinandos esse ab examineribus electis in synodo. Attento hoc Trident. decreto, archidiaconus examinare nequit simul cura dictis examineribus, si non sit ex deputatis in synodo, ex decreto congr. conc. relato a Fagnano, in hac ead. decretali *Ad hæc*, n. 25. » (Giraldi, *Expos. jur. pontif.*, part. I, sect. 133.)

## ADNOTATIO LXI.

*Lib. I. Tit. XXVIII. De officio vicarii, § I, n. 20; pag. 528.*

## AN VICARIUS GENERALIS EPISCOPI SEMPER PRECEDERE DEBEAT CANONICIS ECCLESIE CATHEDRALIS.

Respondendum negative, et constat ex plurimis decisionibus sacre rituum congregationis apud Gardellini, quas apprime collegit D. Bouix in suo tractatu *de Capitulis*, edit. sec. Parisiis et Lugduni, Régis Ruffet, 1862; part. IV, cap. xiii, § 2. Hunc sequemur aliquantisper abbreviando:

» I. Certum est vicarium generalem episcopi, modo assistat in habitu vicariali, præcedere dignitatibus et canonicis non paratis, id est, veste choralis tantum et non vestibus sacris indutis. Gardellini, nn. 14, 46, 204, 347, 621, 879, 899, 1140, 1141, 1183, 1184, 1317, 1750, 1759, 2127, 2603, 2683, 2685, 2845, 3008, 3045, 3100, 3849, 4025.

» II. A prædicta regula solus excipitur hebdomadarius qui, licet non paratus et in habitu choralis tantum officium ageas, vicario generali præcedere debet; n. 4923.

» III. Dignitates ergo et canonici, dum sunt parati, præcedunt vicario generali; nn. 70, 276, 438, 773, 817, 1140, 1970, 3085. Contraria vero consuetudo est abusus, nec tolerari debet; n. 458.

» IV. Nulla proinde gaudet præeminentia vica-

rius generalis, si assistat sine habitu vicariis; verbi gratia, si sit canonicus et habitum canonicalem gerat; idque non obstante contraria consuetudine; nn. 1092, 1101. Secus vero, si in habitu vicariis, nn. 1093, 1101.

» V. Vicarii generalis habitus est subtana cum mantello et biretto: si non est protonotarius, ei non licet uti subta cum cauda et mantelletto, n. 3083.

» VI. Si vicarius generalis nolit canonicis paratis in choro et processionibus locum cedere, ab interessendo absteat; n. 1919.

» VII. In associatione episcopi, si vicarius sit simul protonotarius apostolicus, præcedit canonicis; secus ab interessendo absteat; n. 2352.

» VIII. Vicarius generalis sedere debet in primo stallo et, quatenus opus sit, addatur sedile; nn. 924, 995: et stallum assignandum vicario debere esse fixum nec amplius variandum; nn. 1133, 1037. Si non habeat sedem distinctam, debet occupare primum stallum in choro, nn. 533, 563, 317; juxta consuetudinem Ecclesiæ, nn. 3045, 3083. Si danda ei sit sedes distincta, locus decens assignandus est ab episcopo, nn. 3979, 4097, dummodo incedat in habitu vicariis. Si habeat sedem separatam in choro, nequit occupare stallum dignitatis, n. 1678. Nequit occupare primum stallum, si ejus antecessores sederint in sede separata, n. 1759.

» IX. Si vicarius generalis examini ordinandorum assistat in habitu vicariis, præcedit omnes dignitates et canonicos, etiam protonotarios, n. 1390.

» X. Vicarius generalis, qui simul est canonicus, subscribere debet acta capitalaria in loco suæ receptionis in canonicatu, n. 1001; prout etiam sedere, dum interest congregationibus capitularibus, n. 1013. Neque habet vocem in capitulo uti vicarius; habet tamen uti canonicus, sed in loco suæ receptionis, n. 1100. Et in habitu canonicali munia tantum canonici explere debet, n. 1610. Vicarius generalis canonicus, si velit uti vicarius interesse divinis, præcedit sed distributiones amittit; si ut canonicus, sedeat in suo stallo canonici, nn. 46, 63, 88, 129, 235, 283, 347, 763, 978, 1033, 1086, 2873, 2669.

» XI. Vicarius generalis nequit missas solemnes celebrare, aliasque functiones episcopales peragere, impedito episcopo vel sede vacante, cum id pertineat ad dignitates et canonicos, nn. 41, 122, 146, 188. Neque vi consuetudinis, neque vi decreti synodalis, potest sibi usurpare vices episcopi in eis functionibus quæ primæ dignitati ex jure debentur, n. 1825.

» XII. Thurificandus est post canonicos sacris indutos sacrificii ministros, et etiam post canonicos sacris pariter amictos in stallis choralibus, n. 1777. Tam præsentem quam absentem episcopo, thurificandus est ante omnes, præter modo dictos sacris amictos, n. 965. Semper thurificandus est

duplici ductu ut dignitates et canonici, n. 2645 etiamsi assistat in habitu protonotarii, nn. 2677, 2718.

» XIII. Ei non competit usus pluvialis, nisi sit de gremio capituli, quo in casu incedere debet in loco suæ receptionis, non obstante contraria consuetudine quæ abusus declaratur, nn. 1796, 1826.

» XIV. Vicarius generalis in synodo habet præcedentiam supra canonicos habitu choralibus indutos, n. 3400.

Anno 1830, inter capitulum ecclesiæ cathedralis Niciensis et vicarium generalem episcopi controversia nata est quoad præcedentiam. Quæstio delata fuit ad S. C. Concilii. Eminentiss. Cardinalis de Gregorio, tunc temporis præfectus illius, examina pluribus sacre jurisprudentiæ peritissimis viris remisit illorumque votum in scriptis habere voluit. Consultores igitur responderunt his verbis: « Se il vicario generale del vescovo, non essendo » membro del capitolo, possa metter cappa e moz » zetta canonica ed aver la precedenza al cap » tolo? — È fuor di dubbio che il vicario gene » rale, non essendo scritto fra i veri canonici pre » bendati e titolari, neppure può indossare tr » e e si le insegne canonicali, e con queste assistere » in coro alle sacre funzioni. Che se anche egli » fosse canonico, o di prebenda, o soprannumerario » ed onorario, e volesse incedere in coro colle di » vise canonicali, non può affatto pretendere altro » stallo che quello dovuto all'ordine del suo ca » nonicato, e secondo l'epoca del suo possesso » Così la S. de Congreg. de'Riti, Acernæ 21 giu » gno 1632, dietro le lagnanze ed i reclami de » primicerio, seconda dignità del capitolo, sopra » di cui il vicario generale pretendeva di aver » dritto di precedenza, rispose: *Vicarium gene » ralem, qui sit canonicus, si interveniat in choro » cum habitu canonicali, stare, sedere et incedere » debere in loco suæ receptionis, et nullo modo ha » bere præcedentiam supra primicerium, nec alio » canonicos antiquiores.* » Illustriss. et reverendiss. bonæ memoriæ Colonna, tunc episcopus Niciensis, decisionem obtemperavit, siquidem anno sequentem 1831, die januarii 15, idem Cardinalis de Gregorio illi rescripsit: « Illud insuper tuæ alacritatis et decoris proprium lætor, quod vicarium generalem ab archiepiscopali gerendis insignibus, ea qua par est ratione, te remoturum spondeas. Neque enim fore dubito, quod vehementer excupio, ut tanto dissidii scopulo Ampliatio tua medeatur. » Hæc ex archivio venerabilis capituli Niciensis fideliter deprompta sunt.

Ex his sequitur quam merito auctor noster, loquendo de vicario generali, his utatur verbis: *Censetur habere dignitatem.* Non est vere et proprie dignitas, sed habetur ut dignitas. Sic etiam loquuntur Patres Concilii Suesionensis et concilii Burdigalensis nuperrime celebratorum. « Vicarii generales, inquiunt, qui manus exercent archidiaconorum, quorum nomine insigniti sunt, apud nos

*habentur ut primæ dignitates cathedralis ecclesiæ.* Ipsi, in choro et extra, post episcopum immediate veniunt, sicut mos apud Galliarum Ecclesias, a concordato anni 1801, universe invaluit. Non sunt titulo canonici, nec fruuntur canonicorum juribus, neque ipsis incumbant canonicorum munia nisi desumpti fuerint e capitulo, suumque canonicatum retinuerint. » (Concil. Sues., tit. XIV, cap. 1.)

Hujus rationem convenienter subjungit auctor *Analect. jur. pontificii*, ser. III, col. 861: « Le » vicair général est-il constitué en dignité ecclé » siastique? Oui, de l'aveu de tous les auteurs, » Fagnan entre autres, chap. *Ad hæc, de Præben » dis*, n. 26: *Per vicariatum consequitur dignita » tem.* En effet, il a une prééminence accompagnée » de juridiction et dérivant de cette juridiction; » or la prééminence et la juridiction constituent » la dignité ecclésiastique. Toutefois cela doit » s'entendre de la prééminence qui dérive de la » juridiction de l'évêque, avec lequel le vicair » général forme un seul et même tribunal, une » seule et même personne; c'est par là que les » rayons de la dignité épiscopale réfléchissent sur » le vicair général. » Unde fit ut vicarius gene » ralis, in omni loco et casu, non semper habeat præcedentiam, sed tantum quando personam gerit episcopi, ejus negotia causasque tractat, aut quando, habitu vicariis indutus, se tanquam vicarium generalem coram capitulo et canonicis exhibet.

Opportunam arripiemus occasionem lectoribus studiosis commendandi eximias disquisitiones, in *Analect. jur. pontificii*, ser. III, a col. 833, usque ad col. 926 inclusive insertas, sub hoc titulo: *Études sur le vicair général.* Illæ in quatuor partes dividuntur.

Prima præbet quamdam analysim tractatus a Jacobo Sbrozio, *De vicario episcopi*, Romæ vulgati anno 1604. Item operis a Pellegrino scripti, et Alexandro VII dicati, anno 1666: *Praxis vicariorum et omnium in utroque foro jus dicentium, IV partibus comprehensa.* Item Leureni tractatus: *Tractatus quaternarius de episcoporum vicariis.* Deinde attingit Monacelli *Formularium legale*, Ferraris *Bibliothecam canonicam*, Andreucci *Miscellanea*.

Secunda pars tractat de pluralitate vicariorum generalium. Ibi stabiliuntur sequentia: I. Per duodecim sæcula episcopi non habuerunt vicarios generales. II. Episcopi non potuerunt sibi dare vicarium generalem, nisi ex concessu Papæ. III. Concessio Papæ in specie pro unico tantum vicario generali procedit. IV. Ex praxi Ecclesiæ universalis, Episcopi non habent plures vicarios generales. V. Episcopi sæculorum xiv et xv habuerunt unicum vicarium generalem. VI. Pluralitas vicariorum generalium fuit quam maxime nociva jurisdictioni episcoporum. VII. Inamovibilitas officialium a quibusdam auctoribus Gallis inaniter allegatur.

Tertia pars de vicario generali diocesi extraneo tractat, brevius quidem, quia eadem quæstio in eisdem *Analect.*, ser. II, col. 2890 et seqq. impensius solvitur.

Quarta tandem de nominatione vicarii generalis ejusque facultatibus sermonem habet. I. De vicariis generalibus a Sancta Sede nominatis. II. De vicariis generalibus a nuntiis apostolicis nominatis aut confirmatis. III. De vicariis generalibus a metropolitanis de mandato Papæ nominatis aut approbatis. IV. De vicario generali libere ab episcopo nominato. V. Quod vicarius generalis suas facultates libere debeat exercere. VI. Instructiones S. C. Concilii ad quosdam vicarios generales directæ. VII. Quid de vicario generali, seminarii rectore? An possit revocari vicarius generalis sine prævia intimatione? De morte vicarii adveniente, quando episcopus diocesi abest, et non nisi post longum tempus voluntatem suam significare potest. VIII. De revocatione vicarii generalis ab auctoritate apostolica. IX. De querelis contra vicarium generalem coram sacra Congregatione concilii agitatis.

Cf. D. Bouix *Tractatus de judiciis ecclesiasticis ubi et de vicario generali episcopi*, Parisiis, Le coffre, 2 vol. in-8°. — D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, passim.

## ADNOTATIO LXII.

*Lib. I. Tit. XXVIII, § III, n. 67; pag. 535.*

## DE PLURALITATE VICARIORUM GENERALIUM EPISCOPI.

Auctor *Analect. jur. pontificii*, ser. III, col. 872, citat resolutionem S. C. Episcoporum et regularium, die 6 sept. 1748 emanatam, in qua verbis clarioribus affirmatur: « Episcopus non posse sine indulto expresso Sanctæ Sedis deputare duos vicarios generales in eadem diocesi. » Et inferius col. scilicet 899 scribit: « Nous avons admis pour » un moment que la coutume avait pu légitimer » la pluralité des vicaires épiscopaux dans l'offi » cial et le grand vicair des Églises de France, » quoique le décret de la S. Congregation des » évêques et réguliers cité plus haut exige un in » dult apostolique exprès pour pouvoir députer » deux vicaires. Ce décret entend parler de deux » vicaires généraux qui auraient le mandat ordi » naire, et exerceraient indépendamment l'un de » l'autre la juridiction volontaire et contentieuse » dans un même diocèse. Or ce n'est pas tout » à fait le cas proposé plus haut.

» Au reste, dans l'hypothèse que la coutume en » question fût légitime, il ne s'ensuit nullement » qu'il aurait été permis d'en changer les termes » et d'établir, au lieu de l'official et du grand vi » cair, deux vicaires généraux dans le sens cano » nique. Le consentement du Pape, que l'on peut » alléguer pour une coutume ancienne et raison » nable, ne saurait être pareillement invoqué

» pour une innovation contraire à la lettre et à l'esprit des saints canons, non moins qu'à la pratique de l'Eglise universelle, ainsi que nous l'avons déjà fait remarquer.»

Cf. quæ dicta fuerunt ea de re sub Adnotatione præcedenti.

Huic doctrinæ non obstat, nec resolutioni superius relatæ S. C. Episcoporum et regularium, responsio ad Eminentiss. Cardinalem Gousset, die 14 julii 1858 data ab Eminentiss. Cardinali S. C. concilii præfecto, in qua legitur « capitula cathedralium... unum dumtaxat vicarium capitularem, non autem duos vel plures, deputare debere, quemadmodum de vicariis generalibus agere licitum est. » (*Des chapitres cathédraux en France*, chap. LXXII). Plures enim vicarios generales æque principales seu in solidum constituere, sunt verba Anacleti Reiffenstuel hoc numero, episcopo licet, non autem plures vicarios independentes alios ab aliis, quod non fieri potest nisi ex indulto expresso Sanctæ Sedis.

## ADNOTATIO LXIII.

Lib. I. Tit. XXVIII, § IV, n. 110; pag. 542.

AN VICARIUS GENERALIS EPISCOPI VEL CAPITULI PRO LIBITU REVOCARI POSSIT.

Ad vicarium episcopi quod attinet respondendum affirmative, cum ea tamen cautione scilicet dummodo vicarius generalis admonitus fuerit, et defensionem suam præbere potuerit, hoc enim exigunt iustitia et charitas. Quod demonstrant litteræ a S. Congregatione ad Episcopum C. directæ die 9 decembris 1845, quarum tenor sequitur, gallico sermone : « On a porté au trône du Saint-Père la fâcheuse nouvelle de la révocation instantanée du prêtre Michel L... de l'office de vicaire général de ce diocèse, révocation faite par Votre Seigneurie sans l'intimation légitime, ce qui a ôté au vicaire général le moyen de se justifier, et à V. S. le temps de peser avec tranquillité une détermination qui a causé une assez grande surprise, et qui devait être précédée et accompagnée de tous les égards que l'on doit à une personne qui, dans le même diocèse, représente le même tribunal avec l'évêque, et exerce une même juridiction ordinaire »

» Si la lettre de V. S. du 15<sup>o</sup> octobre dernier n'eût pas été retardée, si la S. Congrégation l'eût reçue avant que le fait ne fût accompli, elle aurait pu examiner l'affaire, et décider s'il y avait des causes canoniques pour renvoyer ledit vicaire général, ou le réintégrer si les accusations qu'on lui fait avaient été reconnues sans fondement, ainsi qu'elle l'a déjà examiné et décidé plusieurs et plusieurs fois. Mais puisque la lettre de V. S. a été présentée les premiers jours de ce mois, et après le fait accompli, et que d'ailleurs le Saint-Père, dans l'audience ac-

» cordée à monseigneur notre secrétaire, a remis la réclamation du vicaire général à l'examen de la S. Congrégation, il en résulte l'indispensable nécessité de demander à V. S. l'exposition des motifs, appuyés de documents, qu'elle a eus pour prendre sa détermination : le fait sera porté à l'examen de ces Eminentiss. Seigneurs, et l'on en fera ensuite relation à Sa Sainteté. Mais tant que cette cause sera pendante, V. S. doit suspendre l'élection d'un autre vicaire ou pro-vicaire permanent ; elle pourra se servir par interim du prévôt Jules P. qu'elle a choisi et indiqué dans sa lettre, au seul objet de ne pas retarder le cours des actes de sa juridiction. » (*Anal. jur. pontif.*, ser. III, col. 921.) Hæc responsio multum illustrat questionem præsentem, sed ex narratis ab auctore *Analectorum* non liquet utrum a S. C. concilii vel a S. C. Episcoporum et regularium emanaverit.

Quoad vicarium capitularem, quidquid allegent Fagnanus et alii inter quos auctor noster, certissimum est capitulum non posse, etiam quando subest gravis causa, illum revocare. Illud apprime explicat D. Bouix, *Tractatus de Capitulis* part. V, sect. II, cap. III § 2. « Vicarius capitularis, inquit, non potest a capitulo revocari. — Nam revocari tantum posset vi jurisdictionis episcopalis in capitulo remanentis; atqui nulla remanet hujusmodi jurisdictio in capitulo; siquidem, ex principio supra stabilito, tota et non ex parte transit in vicarium capitularem. »

« Objectio : contrarium tenuerunt multi et gravissimi doctores, et firmanunt multæ declarationes congregationum romanarum. — Distinguo : Olim quando vigeat jus contrarium seu potius contraria interpretatio juris, concedo; ex quo interpretatio illa derelicta est, et in jus transit opposita, nego. Unde hic frustra opponerentur auctoritates et facta priorum post synodum Tridentinum temporum. Quia tunc, ut diximus, admittebatur posse a capitulo transmitti cum restrictionibus jurisdictionem vicario capitulari; ex quo sequebatur capitulum adhuc remanere verum vicarium episcopi defuncti, vicarium capitularem non esse nisi quemdam delegatum capituli. Ex quo autem id sublatum est auctoritate et declarationibus recentioribus Congregationum Romanarum et Sanctæ Sedis praxi, jam derelinquenda sunt quæ in sensum oppositum in antiquis auctoribus occurrunt. »

Sic enim ad D. d'Astros, vicarium capitularem Parisiensem, prius a capitulo remotum et deinde restitutum, scribebat P. Fontana, die 9 martii 1845, nomine Sedis apostolicæ : « Explorati juris esse vicarium capitularem rite constitutum ex officio dimoveri non posse, nisi gravior et justa causa id deposcat, per apostolicam Sedem probanda; ne scilicet ex partium studio atque ex eligentium arbitratu jurisdictio vicarii cum ingenti Ecclesiarum detrimento penderet. » In iisdem litteris idem superius dixerat : « Ne pluribus commissa negotia

segnius et difficilius expediantur, eam potestatem in vicarium capitularem transmittendam jussit Trident. concilium, qui totam proinde accipit jurisdictionem, cujus nullam omnino partem sibi capitulum reservare potest, uti luculentissime a Benedicto XIV edocetur, aliisque de jure ecclesiastico scriptoribus. » (*Des chapitres cathédraux en France*, document. n° III.)

Concilia provincialia apud nos nuper celebrata eandem doctrinam affirmant. « Exercitium jurisdictionis episcopalis ad capitulum devolutæ, inquit PP. concilii Sæssionensis, transfertur ad vicarios capitulares ita ut nec ullam causam reservare sibi queat capitulum. Isti rite semel constituti non possunt revocari, nisi justa de causa a Sancta Sede approbata. » (*Des chap. cathéd. en France*, cap. LV.)

PP. Concilii Lugdunensis : « Capitula... episcopali Sede vacante, intra dies octo post obitum episcopi, vicarium eligunt, qui jurisdictionem ordinariam in diocesim habet, quem tamen revocare nequeunt, nisi de consensu summi Pontificis. » (*Ibid.* cap. LVIII.)

PP. Concilii Tolosani : « Vicarii capitulares rite constituti totam accipiunt jurisdictionem, cujus nullam omnino partem sibi capitulum reservare potest. (Ben. XIV, de Syn. dioc. lib. II, cap. 9, n. 4; Barbosa, de Can. et dignit. cap. XLII, n. 47.) Proinde ex officio dimoveri nequeunt, nisi justa et summo Pontifici probata causa sit (Ben. XIV, *ibid.*). Hæc vicariorum capitularium potestas, nulli conditioni aut restrictioni obnoxia, durat usque dum episcopus electus et canonice institutus litteras suæ institutionis exhibuerit capitulo, et sic possessionem adeptus fuerit. » (*Ibid.* cap. LXII.)

PP. Concilii Claromontani : « Hæc autem sunt capituli præcipua jura.... Sede vacante, unum vel plures, numero tamen paucissimos, præsertim si e capitulo assumuntur, eligere vicarios capitulares ad quos transfertur quidquid episcopalis jurisdictionis ad capitulum Sedis vacatione manavit; quique revocari non possunt nisi justa de causa a S. Sede probata. » (*Ibid.* cap. LXIII.)

PP. Concilii Auscitani : « Sede vacante.... canonici.. unum vel, ut mos est in Gallia, plures institunt vicarios quibus integram potestatem, nulla sibi parte retenta, committunt, eamque irrevocabilem, nisi justa de causa a Sancta Sede approbata. Quam quidem potestatem non nisi ad normam et intra limites juris canonici exercere debent vicarii capitulares. » (*Ibid.* eod. cap.)

Reperiuntur demum in statutis capitularibus ecclesiæ Diniensis, a Sancta Sede approbatis, anno 1843, illa quæ sequuntur : « 1<sup>o</sup> Capitulum, intra dies octo a notitia mortis episcopi, teneri vicarium constituere qui totam recipiet jurisdictionem, nulla omnino parte capitulo reservata. 2<sup>o</sup> Potestatis plenitudinem ita ad vicarium capitularem transire ut hic nullo amplius indigeat speciali mandato ad quemlibet jurisdictionis suæ

actum (Ben. XIV, de Syn. dioc. lib. XII, cap. 9). 3<sup>o</sup> Si forte vicarium capitularem abesse contingat, ipsum solum posse aliquem sibi substituere, non vero capitulum (Declar. S. C. C. Trid. cit. apud Fagnan. lib. I, part. II, cap. *His quæ*, n. 73)... 5<sup>o</sup> Vicarium capitularem, rite et canonice constitutum, dimoveri ex officio non posse a capitulo, nisi justa interverte causa, a S. C. episcoporum et regularium negotiis proposita probanda. » (*Des chap. cathéd. en France*; document. n° VI).

## ADNOTATIO LXIV.

Lib. I. Tit. XXVIII, § IV, n. 111; pag. 545.

DE POTESTATE VICARII CAPITULARIS, DEQUE EJUS SUBSTITUTO.

Ex Adnotatione præcedenti liquet auctorem nostrum prorsus deserendum esse ubi admittit capitula posse restringere potestatem vicarii capitularis.

Quoad substitutum vicarii capitularis, Fagnanus, de Majorit. et obed. cap. *His quæ*, scribit : « Anadvertendum jurisdictionem, vacante episcopatu, principaliter residere penes capitulum, exercitium vero penes vicarium ab eo deputatum. Unde censuit S. Congregatio concilii substitutionem faciendam propter absentiam vicarii, vel aliorum officialium, spectare ad ipsos officiales et non ad capitulum. » Aliunde ad Eminentiss. Cardinalem Gousset, die 14 julii 1858, Eminentiss. Cardinalis S. C. C. præfectus scribebat : « Monelis itaque capitulum ut, quando vacatio ceciderit, quod longe sit, huic disciplinæ adhaereat (unum vicarium eligat), cum præsertim idem capitulum non impediat vicario alium virum adsciscere qui opem adjutricem eidem præbeat, quemadmodum non pridem inculcatum est capitulo Molinensi in approbatione statutorum capitularium per litteras diei 10 jul. 1854. » (*Des chap. cath. en France*, cap. LXXII). Quo in loco probavimus responsionem anni 1858 nullo modo contradicere declarationi a Fagnano relatæ. Insuper docuimus eod. cap. p. 484, quod substitutus evadat vicarius capitularis, si vicarius rite institutus e vita decedat aut officium suum resignet; hunc textum corrigendum existimamus, utpote contrarium sensui S. Congregationis concilii.

## ADNOTATIO LXV.

Lib. I. Tit. XXIX. De officio et potestate judicis delegati, n. 70; pag. 555.

DE QUALITATIBUS DELEGANDORUM A PAPA VEL AB EJUS LEGATO.

« Hodie, si agatur de delegatis a Sede apostolica, quoad ipsorum qualitates, attendenda est nedum decretalis Bonifacii VIII relatæ in cap. 2 *Statutum*, de Rescriptis in 6, sed etiam decretum Trident.